

FRIDERICVS 3. IMPERATOR.



Friedericus ille filius fuit Ernesti Archiducis Austriae, & Cymburgæ filiæ Vitoldi ducis Lithuaniae. Erat Cymburga mulier religiosissima, & supra muliebrem sexum fortis, utpote quæ digiti pulsu sæpe auellanam & iuglandem fregit, ac clavum parieti impegit. Natus est autem anno post nativitatem Domini millesimo quadringentesimo decimoquinto, atque omnibus uirtutibus & disciplinis honeste educatus. Cum uero septennis esset, pater moritur, atque ipse Austriae ducibus traditur, cum quibus etiam summa modestia uixit. Nam Styriae tantum gubernacula ei cesserunt, Alberto fratre in Alsatiā & Brisgaudiam missō. Quoniam uero religioni esset deditissimus, & uitæ continentissimæ zelo quodam ductus, uidendi uestigia Saluatoris Hierosolymam nauigauit anno 1437.